



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De lætitia bonæ conscientiaë. 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)



ferues. Valdè deficies, si aliquid temporale reputaueris. Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi *Eccles. 1.* fit, nisi purè Deus, aut de Deo sit. Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima, sub Deo despicit vniuersa. Solus Deus æternus & immensus, implens omnia, solatium animæ, & vera cordis lætitia.

## CAP. VI.

*De lætitia bona conscientia.*

*I. Cor. 1.* **G**LORIA boni hominis, testimonium bonæ cōscientiæ. Habe bonam conscientiam, & habebis semper lætiam. Bona conscientia, valdè multa potest portare, & valdè læta *Sap. 17.* est inter aduersa. Mala conscientia, semper timida est & inquieta. Suauiter requiesces, si cor tuum te non reprehenderit. Noli lætari, nisi quum benefeceris. Mali numquã habent veram lætitiã, nec internam sentiunt pacem: *Luc. 12.* quia non est pax impiis, dicit Dominus. *Esa. 57.* Et si dixerint: In pace sumus, non venient mala super nos: & quis nobis nocere



nocere audebit? Ne credas eis: quoniam repente exurget ira Dei, & in nihilum redigentur actus eorum, & cogitationes eorum peribunt.

2 Gloriari in tribulatione, non est *Rom. 8.*  
 graue amanti: sic enim gloriari, est glo- *Gal. 6.*  
 riari in cruce Domini. Breuis gloria, *Ioan. 5.*  
 quæ ab hominibus datur, & accipitur.  
 Mundi gloriam, semper comitatur  
 tristitia. Bonorum gloria, in conscien- *2. Cor. 3*  
 tiis eorum, & non in ore hominum.  
 Iustorum lætitia, de DEO, & in Deo  
 est: & gaudium eorum, de veritate.  
 Qui veram & æternam gloriam desi-  
 derat, temporalem non curat. Et qui  
 temporalem requirit gloriam, aut non  
 ex animo contemnit, minùs amare  
 conuincitur cælestem. Magnam habet  
 cordis tranquillitatem, qui nec laudes  
 curat, nec vituperia.

3 Facile erit contentus & pacatus,  
 cuius conscientia munda est. Non es  
 sanctior, si laudaris: nec vilior, si vitu-  
 peraris. Quod es, hoc es; nec maior dici  
 vales, quàm (Deo teste) sis. Si attendis,  
 quid apud te sis intus, non curabis,  
 quid de te loquantur homines. Homo *1. Reg.*  
 videt in facie, Deus autem in corde. *16.*

Homo



Homo considerat actus, Deus verò pensat intentiones. Benè semper agere, & modicum de se tenere, humilis animæ indicium est. Nolle consolari ab aliqua creatura, magnæ puritatis, & internæ fiduciæ, signum est.

4 Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quærit, liquet quòd totaliter se Deo commisit. Non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est (ait B. Paulus) sed quem Deus commendat. Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, status est interni hominis.

## CAP. VII.

*De amore IESU super omnia.*

Pf. 118. 1 **B**EATVS, qui intelligit, quid sit amare Iesum: & contemnere seipsum, propter Iesum. Oportet dilectum pro dilecto relinquere, quia Iesus vult solus super omnia amari. Dilectio creaturæ fallax & instabilis: dilectio Iesu, fidelis & perseuerabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili: qui amplectitur Iesum, firmabitur in æuum. Illum dilige, & amicum tibi retine: qui omnibus recedentibus, te non